



**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Articvlvs V. Vtrum in intellectu Angeli poßit esse falsitas. artic. 5.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

Quando per  
accidens An-  
geli compon-  
nunt, &  
uidant.

maximam ad intelligendum, plenitudinemque lu-  
minis, quam habent, in altero extremitate intuentur,  
qua ei conueniunt, aut non conueniunt: quod ta-  
men nos, propter debilitatem nostræ mentis, effice-  
re non valimus.

Obserua, quando complexio, qua se se offert in-  
telligenda, est res necessaria, & utrumque extre-  
mum, prædicatum videlicet & subiectum, iuxta D.  
Thomæ sententiam, representantur in intellectu  
Angelico per eamdem speciem, opinionem hanc D.  
Thomæ nullam continere difficultatem: apprehen-  
so quippe homine, in natura illius potest Angelus  
simplici introitu conspicere, ipsum esse animal, ha-  
bere facultatem ad ridendum, &c. idque illo intui-  
tu iudicare. At vero quando extrema representan-  
tur per diuersas species (qua ratione lapis & homo  
ex sententia D. Thomæ representantur intellectui  
inferioris Angelii) cum, ut cognoscatur hoc pronun-  
ciatum, hominem esse lapidem, non satis sit cognosce-  
re hominem, sed simul oporteat agnoscer lapidem,  
neque utrumque (quicquid nonnulli dicant) possit  
apprehendere per eamdem simplicem notitiam: eo  
quod illorum sint diuersæ species, notitiaque spe-  
ciebus respondere debant: sanè nulla ratione vide-  
tur concedendum, Angelum tunc sine villa compo-  
sitione ac diuisione iudicare hominem non esse la-  
pidem: quandoquidem iudicium in assertione, aut  
negatione intellectus est positum: id quod fit per  
copulam extrema complexiois connectentem, aut  
diuidentem: hanc autem sine extremis, neque no-  
ster, neque Angelicus intellectus, vt Aristoteles i.de  
interpretatione capite 3. est autor, valet intelligere.  
Quare sicut articulo precedente tamquam regulam  
statuimus, toties Angelum per accidens discurrere,  
quoties intellectus Angelicus id, quod coniicit, &  
intelligit ex alio non potest intelligere per eam-  
dem notitiam, per quam id, ex quo illud coniicit, in-  
telligit: ita hoc loco hac alia similis est statuenda.  
Quoties intellectus Angelicus non potest per eam-  
dem notitiam apprehendere extrema complexiois  
non potest componere, aut diuidere, dum talem  
complexionem agnoscat, & de ea iudicat: solius  
namque Dei est proprium unam simplicissimam no-  
titiam formare, qua nullam in se compositionem  
admittat: idque tum propter omnimodam ipsius  
simplicitatem, tum etiam quod unica simplicissima  
ratione intelligendi, nimirum diuinitate, instar spe-  
ciei intelligibilis concurrens, ea omnia percipiat.

Dei propriis  
est nullo pa-  
cto discurre-  
re.

Quod ad complexiones contingentes attinet, vt quod Socrates sit albus, aut ambulet, veritatem  
eorum cognoscit Angelus per notitiam intuituam  
extremorum, qua illa coniuncta est à parte rei, aut  
non esse coniuncta concipit: non secus ac nos id  
inspicimus: cum autem ex sententia D. Thomæ ex-  
tremis complexiois contingens representari pos-  
sent per eamdem speciem, notitiam, quam de utroque  
extremo Angelus format, potest esse una & simplex,  
quemadmodum est species, qua representantur, ac  
proinde poterit Angelus sine villa compositione,  
aut diuisione intueri has complexiones, & de eis  
iudicare. Obserua tamen, quando extrema complexiois  
contingens eius esset natura, vt Angelus de utroque  
formare non posset eamdem numero  
simplicem notitiam: vt si de Angelo alio, aut homi-  
ne, quem intuituam videt, vellet iudicare illum inter-  
ius hoc vel illud cogitare quod concipere nequit,  
nisi notitia abstracta, aut si de Petro nunc existen-  
te iudicare vellet aliquod futurum contingens, quod  
modo apprehendere non potest, nisi notitia abstra-  
cta, Angelum tunc iuxta regulam traditam cōpo-  
nit. Molina in D. Thom.

A ntere, aut diuidere. Hanc sententiam non reputat im-  
probabilem Caiet. art. sequenti, tametq; contrariam  
menti D. Thomæ iudicet consonantiorem.

## ARTICVLVS V.

Vtrum in intellectu Angeli possit esse falsitas.

**D**ICENDVM est, tam circa necessaria  
quæ circa ea contingentia, quæ actu  
existunt, quæque Angeli intuitu pos-  
sunt cognoscere, non posse esse falsi-  
tatem in intellectu Angelico. Circa  
supernaturalia vero, cogitationes cordium, & futu-  
ra contingentia, in Angelis quidem beatis non po-  
test esse falsitas: eo quod eorum statui repugnat,  
semperque Angelii beati iudicium suspendant, vbi  
periculum falsitatis pender: demones vero circa  
haec decipi possunt, si p[er]e scipios decipiunt: eo  
quod nullam circa ea habeant evidentiam, de c[on]sue-  
to non vereantur iudicare.

Cum vero articulo precedente ostensum sit, Ange-  
los circa haec componere, & diuidere, non erit diffi-  
cile intelligere, quanam ratione in iudicio, quod de  
rebus huiusmodi fertur, possit sententiarum falsitas  
esse in demonum intellectu. Quia vero iudicium,  
quo Angelii de complexiois sine compositione  
aut diuisione iudicant, licet compositione & diuiso-  
ne non sit, vera tamen compositione ac diuisione æqui-  
pollet: in illo esse potest veritas aut falsitas formaliter,  
est, compositione & diuiso sit in eo virtute lo-  
lum ac eminenter. Quia dictis adiungi potuisse,  
ex questione 16. petantur.

## ARTICVLVS VI. &amp; VII.

Vtrum in Angelis sit cognitio matutina &  
vespertina.

**D**ISTINCTIO cognitionis matutina, & vespertina in Angelo introducta est  
ab August. c. 4. super Genesim ad literam a c. 22. & 11. de Ciuit. Dei c. 7. 29.  
30. Arbitratur namq; Deum creasse omnia in eodem  
puncto temporis nostri, iuxta illud Eccles. c. 18. *Qui  
vivit in aeternum, creavit omnia simul.* Sex autem dies,  
in quibus res in principio Genesim à Deo creatae nar-  
rantur, exponit de Angelica intellezione, compara-  
ta cum sex rerū generibus, quæ sex illis diebus di-  
cuntur creatae. Ita scilicet, vt cognitio rerū, quæ pri-  
mo die creatae narratur, dicatur prima dies, cognitio  
vero rerū, quæ secundo die dicuntur creatae, dicatur  
secunda dies, & ita consequenter. In vnoquoq; au-  
tem horum dierū distinguit mane & vespere: & mane  
appellat cognitionem vniuersaliq; illorum sex  
generū, quæ Angelus illud cognovit in Verbo, prius  
natura quam produceretur: vespere vero cognitionem  
qua illud idem cognovit in proprio genere  
postquam produtum est: sicut enim mane ante-  
cedit vespere, sic etiam cognitione rerum in Verbo ante-  
cedit cognitionem earumdem rerum in proprio ge-  
nere. D. Th. hoc loco, & inferius q. 62. artic. 1. ad ter-  
tium, Gabriel super canonem leet. 31. & in 2. dist. 3.  
q. 2. dubio ultimo, & multi alijs nomine, cognitionis  
in Verbo, intelligunt visionem beatificam; & haec sanè  
videtur esse sententia Augustini, quamvis hac de re  
variè locutus sit, difficilique eius doctrina defen-  
di valeat. Scorus in 2. dist. 2. q. 9. intelligit cognitionem  
illam naturalem per speciem, de qua quæst. 5. 6.  
artic. 3. locuti sumus, quam dicit fuisse communem

Ecc omni

Demones cir-  
ca cogitatio-  
nes cordis, &  
fatura con-  
gentia erra-  
re frequenter.

In simplici  
Angelorum  
iudicio cur  
veritas aut  
falsitas de-  
tinetur.